













14575

1/12.

1591 11a

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO POLITICA,  
DE

**JURE MAJESTA-  
TIS CIRCA REM LITERARIAM,**

Quam  
**PRÆSIDE**  
*VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO atq;  
EXCELLENTISSIMO*

**DN. CHRISTIANO**

**Röhrenseen/**

Pract. Phil. P. P. Celeberrimo, nec non Alu-  
mnorum Electoralium EPHORO

Gravissimo.

*Domino PATRONO, PRAECEPTORE, ac studiorum PRO-  
MOTORE maximo, et atemq; colendo.*

*D. XXX. Septembr. M DC XCI.*

IN AUDITORIO MAJORI,  
placidæ Eruditorum disquisitioni

assistit

AUCTOR & RESPONDENS

**SAMUEL Grahl/**

Mittweyda Misn.

Phil. & SS. Theol. Stud. atq; Alumn. Elect.

---

WITTEMBERGÆ, TYPIS JOHANNIS WILCKIL.



VIRIS  
PRUDENTISSIMIS, AMPLISSIMIS, *Omniq;* PIETATE  
*ac Eruditione Clarissimis*  
DOMINIS  
CONSULIBUS,  
PRÆTORIBUS,  
ATQVE  
TOTI ORDINI SENATORIO.  
qui est Mittveydæ,  
DOMINIS PATRONIS, FAUTORIBUS *ac*  
*Studiorum meorum Promotoribus omni pietatis*  
*& observantiæ cultu de venerandis.*

Exercitium hoc Academicum, tan-  
quam tesseram gratæ mentis pro tot  
acceptis beneficiis

D. D. D.

Samuel Grahl/Auctor & Resp.





I. N. 71

PROOEMIUM.



Agna magnos decere in proverbio dicimus. Et æquum omnino est, ut ii, qui præ cæteris honorum, & eminentiæ dignitate conspicui esse cupiunt, rerum gestarum gloriâ quoque nemini cedant. DEUS quidem & natura omnes æquo jure ornavit homines; sed quia eodem commodè nunc frui non licet, nec cuncti eniti ad magna, laudemque sectari immortalitatis laborant, sapientissimus rerum humanarum Arbiter ita moderatur mortalium actiones, ut hunc ad imperii admoveat gubernacula, huic animarum committat curam, aliis verò laborem injungat, quò sustentemur omnes, vitamque commodè transigamus. Magna omnia magnis exequenda studiis. Magnitudine tamen & splendore præcipuo facile antecellere reliqua Majestatem supereminentem, constat, quia divinâ prorsus dignitate præest pluribus. *Ritè verò ut præesse possit populus subditis, DEO ita moderante, sapientum sit curâ, qui salutarium monitorum face prælucent Imperanti, & sic in uno omnes faciunt doctiores.* Lipsius in Polit. præfat. ad Imperantes. Hinc juxta Platon. l. 5. de Republ: *nisi vel Philosophi regnaverint, aut Reges nunc dicti & Magnates philosophentur sincerè & sufficienter, & ita in unum coincidat potentia civilis & Philosophia, non fit malorum finis in civitatibus, cit. Brunone in Notis ad Agapeti Schedam regiam.* Ad quem locum respexit fortè Cicero l. 1. ad Quintum Fratrem ep. 1. *Tum fore beatæ Respublicas, dicens, si aut docti & sapientes homines eas regere cœpissent, aut, qui regerent, omne suum studium in doctrinâ ac sapientiâ collocassent.* Ac certè, Principem literæ bonæ ita instruunt, ut ipse bonis legibus omnia rectè ordinet, suumque officium benè curet & administret. Doctrinis enim saluberrimis imbuta Imperantis mens, procurat:

*Ut tot in unâ animâ populorum vita salusque*

*Pendeat. ---*

*Lucanus l. 5. civil. belli v. 685.*

Magnum verò felicitati & salutis publicæ augmentum cum ad-

A 2

dant

dant res literaria bonæq; artes, si in regnis undiqvæq; foveantur benignè ac aluntur, inde Principi imprimis tanquam res magni momenti curæ cordiq; esse debent, ut floreat maximè. De Jure igitur hoc circa rem literariam sit præsens institutum nostrum. Maximum proinde adoram9 Numen, ut gratiâ suâ clementi nobis præsens esse velit, qvo susceptam telam hanc feliciter pertexte- re valeamus, per JEsu[m] Christum, Amen.

§. I. Ut facilius labor hic expediatur, monita Philosophorum attendimus, & primo statim loco, qvia verba sunt signa rerum, explanamus & vocis originem, & diversas ejusdem acceptiones, tum & variorum terminorum æquipollentiam adducemus. Quod igitur primum attinet, literaria res à literis nomen habet; litera verò procul dubio à liturâ dicitur, causaq; facillimo negotio enodari potest, qvia literas formantes, similes Pictorib9, linere solemus chartam, vel aliam materiam, cui inscribimus. Et licet aliundè quoque derivatio trahi fingiq; potius posset, lubentes tamen nunc supersedemus, cum argumenta ab Etymologiâ accersita, admodum sint infirma.

§. II. Oportere autem nos & ipsius vocis usum prius cognoscere, à quo sæpenumerò provehimur in rei perceptionem, Scaligeri prudentissimum est monitum, Exercit. i. sect. i. Indicant igitur literæ seu res literaria (α) prima cujusvis lingvæ elementa, quorum inventionem Evandro Livius vindicat l. i. c. 7. appellitans eundem virum venerabilem miraculo literarum, rei nova inter rudes artium homines. Plinius verò lib. 7. H. N. c. 56. Cadmo simul etiam vindicat: Literas, inqviens, invenerunt Cadmus, qui ex Phœnicia in Græciam primum eas intulit, & Evander. Hinc etiam Curtius l. 4. c. 4. si fama libet credere, hæc gens (scilicet Phœnices, seu Tyrii) literas prima aut docuit, aut didicit. Et hæc de Græcis literis primum inventis ita memorantur. Alias insuper ex Josepho adfertur ἀρχαιολογίας l. i. c. 3. jam ante diluvium excitatas fuisse duas columnas, à posteris Adami, alteram lateritiam, alteram verò lapideam, quibus inventa sua inscripserint, adeoq; literis consignârint, ut seu diluvio, seu incendio mundus interiret, altera tamen posteritati remaneret. cit. Conringio Antiq. Acad. Supplem. 2. qui tamen hoc simul addit. Josepho securè credi non potest, quoniam omne hoc hausit ex fabulis sui avi. (β) Literæ potius quam

quàm res literaria notant etiam epistolam, quâ significatione nihil frequentius ferè est apud Ciceronem in epistolis. (2) Deniq; litera, à quib9 res literaria deducitur, idem notat, ac omnes disciplinas, omnemq; & divinam & humanam eruditionem significare solent. Hinc Cornel. Nepos de Hannibale c. 13. §. 2. *Hic tantus vir, inquit, tantisq; bellis districtus, nonnihil temporis tribuit literis, namq; aliquot ejus libri sunt græco sermone confecti.* Quæ vero ultima acceptio h. l. unicè attendenda venit.

§. III. Porrò etiam variis titulis insignitur res literaria, & ejus nomine penes Latinos passim salutantur studia. Hinc Tacitus Annal. lib. II. c. 7. *sublatis studiorum pretiis, dicit, etiam studia perire.* Dicuntur & artes bonæ, inde Symmachus l. I. ep. 79. *Scimus bonas artes honore nutriri, atq; hoc specimen esse florentis Reipubl. ut disciplinarum Professoribus premia opulenta pendantur, cit. Lipsio ad l. 2. c. 17. §. 18.* Sic dicitur etiam doctrina; inde citatus Nepos de Attico c. 17. §. 3. *dicit, quòd iis, quos amare debebat, irasci nefas duxisset, neq; id fecisse naturam solùm, sed etiam doctrinam, nam & Principum Philosophorum percepta ita habuisse præcepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur.* Pluraq; honoris nomina ex Auctoribus possent adduci, nisi vellemus esse breviores. Id saltem non prætereundum, quòd rei literariæ nomine in Scholis eminentioribus sive Universitatibus, intelligantur omnes nunc ita dictæ Facultates, sive omnis & divina & humana scientia.

§. IV. Perspectâ jam vocis origine, rem ipsam aggredimur. Hinc omnium primò rei literariæ causam efficientem huc trahimus in considerationem; quam esse Majestatem omninò asserimus. Par enim est, ut ipsa omnium gerens curam, jura quædam eminentiæ sibi reservet, ad quæ spectat etiâ potestas circa rem literariam. Per Majestatem autem intelligitur in nostro Imperio Romano-Germanico principaliter solus Imperator; quia verò non absolutè omnia administrat, de Majestate simul participant quoq; Electores, cæteri; Imperii ordines. Et sic in Imperio omnes, qui habent jus territorii in regiones suas, Majestatis titulo possunt insigniri. Hoc verò certum est, eminentiam summam præ omnibus habere Imperatorem, quandoquidem is jura quædam sibi soli reservat, respectu quorum omnes ab ipso dependent, eumq; tanquam superiorem agnoscunt & venerantur. Cum verò tantâ digni-

Dignitate nō præcellant reliquorum regnorum Principes, hinc scitè Carolus V. dicere solitus est, imperare se aliis in regnis mancipiis ac servis, in Germaniâ liberis & Regibus. Vid. *Wendelinus Polit. Instit. l. 2. c. 32. circa finem.*

§. V. Omnis proinde, qui pollet Majestate, pollet etiam certo modo jure circa rem literariam; quod jus verò in Imperio nostro restrictum est ex majori parte ad Imperatorem. Considerandum enim utiq; rem literariam constare tam ex Scholis minoribus, in quibus prima rudimenta & fundamenta ponuntur, quam ex Scholis majoribus, quas nunc Academias sive Universitates appellamus. Circa utrasq; *jus cura & provisionis* Dominus territorii habet, *jus foundationis* verò tantum circa Scholas minores. Vid. de hac distinctione libellus dictus *Mercurius Germanicus* pag. 41. & 42. circa majores autem, quæ fermè omnem faciunt paginam *foundationis jus* sibi solus reservavit Imperator. Vid. *Wendel. l. 1. c.* ibi enim adhuc tredecim recenset jura, quæ ad solum Imperatorem spectant.

§. VI. Minorum Scholarum nomine veniunt omnia sic dicta Trivia, ne Gymnasiis quidem exceptis, quæ ut erigantur, quivis principali dignitate gaudens vel ipse procurat, ut olim D. Elector Mauritius instituebat & largiter dotabat, tres Scholas illustres, Misenensem, Grimmensem & Protensem, vel civitatibus suæ ditionis hanc concedit potestatem. Quamvis Magistratus Gymnasio majorem auctoritatē & applausum stabilire cupiens, privilegium ab Imperatore eidem impetrare possit, *pro quo solvere tenetur Camera Imperiali centum & quinquaginta, Cancellaria verò centum & tringita florenos*, annotante hoc *Illustri Styckio ad Tit. 13. Lib. 1. Instit. Juris Can: Job. Schilteri.*

§. VII. Majores verò Scholæ dicuntur tantummodò Academiæ sive Universitates, & in has asseritur Domino territorii saltem *jus cura & provisionis*, quæq; huic annectuntur, non autem *jus foundationis*. Posterius enim ad solum Imperatorem pertinere constare potest vel ex ipsâ praxi, cum omnes Academias erigentes, de concessione Imperatoris, & ut paulò post constabit, etiam de consensu Papæ fuerint solliciti, diplomata & privilegia iisdem procurantes, *solvendo Camera Imperiali bis mille, Cancellaria verò*

tre-

trecentos & quingvagina florenos. quemadmodum ad l.c. animad-  
vertit laudatus vir.

§. VIII. Ex his itaq; satis constat Imperatori summam potesta-  
tem competere in Imperium, & sic etiam in specie circa rem lite-  
rariam; nec eidem exinde denegari debet, quando in certis  
qvibusdam casibus propter promissa & pacta parem ubiq; exer-  
cere libertatem non potest. Arctum enim in talibus redditur  
Majestatis exercitium, nec diminuitur ipsa Majestas, dum non à  
superiori hæc limitatio provenit, sed ipse Imperator se obligat ad  
limitationem & promissum. Sic etiam divinæ Majestati nihil  
decedit, quando se certis legibus obstringit, & fœdus nobiscum  
pactum jurejurando in nomine suo præstito confirmat.

§. IX. Equidem de facto qvivis Imperii Elector vel Princeps  
Academias possit etiam fundare iisque Privilegia concedere; hoc  
tamen negari non potest, si refragaretur Imperator, saltem di-  
gnitates & honoris gradus, qvibus in ejusmodi Academiis orna-  
rentur docti, extra territorium non haberi tùm pro veris, nec ul-  
lâ apud exteros valituros prærogativâ. Manifestum exemplum  
habemus in Belgicâ Academiâ, quæ Leidæ erigebatur inter me-  
dias belli turbas cum potentissimo Regum tunc temporis. Certè  
*Imperator Rudolphus missis literis exprobravit ordinibus, tanquam feu-  
do sacri Imperii, quæ se inscio fecissent & inconsulto, irrita & nullius mo-  
menti fore. Et certâ pactione postea introductum est, ut in Galliâ & Angliâ  
Leidenses Doctores approbarentur. Vid. Christoph. Besoldus l. 1. c. 12. §. 3.  
Polit: quâ pactione non fuisset opus, si ordines tunc temporis  
jure proprio & sine immutatione ac fraude Majestatis Imperii  
Germanici Academiâ erigere & privilegiis ornare potuissent.  
Vide pluribus de hæc re agentem Lansium Comment. de Acade-  
miis, pag. 7.*

§. X. Quod igitur Imperator potest in Imperio, id qvivis Rex  
potest etiam in suo regno. Attamen memoratur, apud Scotos  
consuetudinem ac mores invaluisse, Academias non à Regibus,  
neq; à Ducibus, sed ab Episcopis fundari, ut scilicet *Aberdonensis  
ab Elphinstone Episcopo, S. Andrea à Jacobo Kennedo, ut & Glastonensis  
pervenit ac Magistris literariis ferè destituta sunt erecta & confirmata,  
quemadmodum ex Ghoppino de Dom: Franc: l. 3. t. 27. n. 22. hoc addu-  
cit Ex*

*cit Excellentissimus Praeses, Praeceptor atq; Patronus etatem colendus in  
Disp. de Academiis. Subjicit, autem in his non videndum ubiq; quid fiat,  
sed quid de jure fiat. Et praeterea dum connivet Rex, consentit. Non  
enim negari potest, eum pro Majestate irritum potuisse reddere  
ejusmodi conatum; & quovis tempore, intelligens juribus suis  
quicquam decedere, tollere facillimo negotio posset.*

§. XI. Ac ipsos Pontifices dominandi libidine actos hoc sum-  
mi imperii jus sibi simul arrogasse, & adhuc hodie ex parte vin-  
dicare, luce meridianâ res est clarior, dum Academiâs non solum  
erigere conati sunt ubi vis terrarum ferè, sed & confirmarunt. In  
quantum igitur non renisa est Majestas iisdem, in tantum pro-  
bantur Academiâ ejusmodi tanquam legitimæ. Sanè in Galliâ  
Anno M DL cum Lotharingus Cardinalis Durocortori Remorum Aca-  
demiâ constituisset, & Pontificium diploma eo sine impetrasset, res sub  
incudem disputationis revocabatur vid: Celeberrimus Praeses l. c.

§. XII. In Imperio tamen ita opinio clementiâ Cæsarum in-  
valuit jam olim, & hodie adhuc vel inter Evangelicos observa-  
tur, ut ad Academiâ fundadam post Imperatoris etiam Papæ  
consensus expetatur, licet Evangelici Pontificis jugum penitus  
excusserint. De veteribus Academiis nullum est dubium, & de  
ipsâ saltem Coloniensi Hornius P. II. orbis Politici pag. II. asserit,  
quod sub Friderico III. fundata, & à Papâ Urbano privilegiis sit  
donata. Mirum magis videtur, quod recentiores inter Evan-  
gelicos Academiâ non sine Pontificis consensu fuerint institutæ.  
Sic namq; Anno 1665. Serenissimus Holsatiæ Dux Albrechtus,  
Kiloniæ instituens Academiâ, etiam Pontificis sollicitavit con-  
sensum; & superiori seculo Anno 1576. cum Helmæstadii instru-  
eretur Universitas, idem institutum fuit observatum referente  
hoc Magnif. Stryckio ad Tit. 13. l. 1. Joh. Schilteri, & addit ibidem:  
*Fieri hoc ea propter juxta nonnullos, quod potestas creandi Doctores Ju-  
ris Canonici ita acquiratur. Verùm, respondet, cum ipsum Jus Ca-  
nonicum subiaceat auctoritati nostrorum Principum, non dubitandum  
esse, potestatem creandi tales Doctores à potestate seculari proficisci pos-  
se. Et genuinam potius esse causam, asserit, quia Imperator huc usq; hanc  
potestatem sibi soli nondum arrogaverit, eaq; propter utile esse, quod  
Doctores etiam ultra territoria Principum Evangelicorum admittantur,  
Pontificis consensum adhiberi.*

§. XIII.

§. XIII. Minimè autem exinde concludendum, quasi sic ipsi Evangelici collum iterum jugo Pontificis subderent; civilis namq; respectus ac reverentia saltem est, qvalis in gratiam Imperatoris observatur. Hinc si suspenderet consensum Papa, aut injungere simul vellet ritus certos vel profana quædam dogmata in gratiam ejus observanda, quæ puriori tamen repugnarent doctrinæ, deserendus, nec adeò sollicitè veneranda ejus esset auctoritas. Sufficere enim potest Imperatoris consensus & privilegium. Si autem & hic abnueret, quod tamen vix evenire poterit, omninò in ejus voluntate tamdiu foret acquiescendum, donec rectius informatus esset, & res vel in Comitibus Imperialibus, vel alibi probè diversis rationibus pensitatis, decideretur.

§. XIV. Ordo noster quo minus negligatur, *objectum* nunc enodabimus. Id autem constituunt Scholæ majores & minores. Per majores Academies, Universitates, vel ut in principio foundationis appellabantur Universalia Studia, nos intelligere, supra memoravimus. Universitas verò hîc consideranda *alio est separatum corpus proprio Magistratu legibusq; instructum: Alii verò rectius fortè ad universalia respiciunt studia in consideratione ejus denominationis, cum Academies ratione originis suæ tractaverint saltem studia philosophica; Universitates autem complectantur omnium Facultatum disciplinas.* Illustris Stryck ad l.c. Schilteri.

§. XV. Constat proinde Universitatis nomen plus involvere quàm nomen Academiæ, quod ab Atheniensium Scholâ, in quâ Plato summæ prudentiæ & auctoritatis apud Græcos primus omnium docuit, accersendum, totq; seculis ante Universitates fuit commune Doctorum auditoriis. Quapropter Conringius *Suppl. I. Antiquit. Acad.* ita docet: *Primum videtur Universitates appellari cœpisse in Germaniâ nostra Academies superiori demum seculo, nec ullo decreto publico, sed solo doctorum quorundam virorum, veterem Græcorum doctrinam admirantium, instituto.* Valent etenim vocabula ut nummi; & sic discrimen hodiè nullum observatur inter Universitates & Academies. Institutum nostrum longè excederet, si hîc in campum antiquarum Academiarum exspatiari vellemus. Jucunda & lectu dignissima de his habet *Excell. Praeses in laudatâ Diss. cui adjungi possunt Conringii Dissertationes de Antiq. Acad.*

B

§. XVI

§. XVI. Nobis nunc maximè sunt curæ Universitates, quæ ad hodiernum splendorem sunt evectæ, postquam excitari ceperunt à summis Principibus & ad regalia ab iis annumerantur, quod verò factum demum seculo XIII. judicat *Conringius Dissert. 3. de Antiq. Acad. cum quo consentit etiã Celeberr. Polybistor. Schurzsteischius in Colleg. H. E. MSCto.* Et Parisiensem Scholam tunc maximè floruisse certum est, primamq; quantum *Conringius l. c.* potuit conjectari, fuisse, quæ in omnibus floruerit quatuor Facultatibus, & Magisterii atq; Doctoratus titulos tribuerit suis alumnis, primogenitaq; Regia sit dicta. Cum verò paulo post Honorii III. Papæ interdicto Juris civilis Professores abire cogerentur, hinc, si primam Universitatum originem attendere vellemus, potius generalis studii seu Academix nomen hæctenus tuetur, quàm nomen Universalis studii.

§. XVII. Et tum temporis suos discendi gratiã Germani Lutetiam Gallie & Bononiam Italiae Academias ablegabant. *Wendelinus l. 2. c. 20. Inst. Polit.* donec ipsi successu temporis cultiores fierent, boniq; in Germaniã Principes cogitarent & monerentur de domesticarum Scholarum instauratione, ut sic domi etiam excolerentur liberalium artium & lingvarum studia, vel ipsorum Pontificum favore, donec demum in hæc nostrã patriã, depulsã prius Monachalium opinionum barbarie & excusso putido sordidoq; orationis genere, ipsa doctrina cælestis Pontificum constitutionibus nimis obscurata iterum radiari & pleno quasi jubare splendere cæpit.

§. XVIII. Inter primas igitur Germaniæ Academias numerandæ erunt *Heidelbergensis Anno 1346. fundata, Pragensis Anno 1360. Coloniensis & Erfordiensis Academia circa Annum 1386. instituta, ut habet Christoph. Schraderus in Tabulis Chronologicis* Hæc postea quamplurimæ sunt insecutæ, adeò ut numeret viginti quinque in nostrã tantum Germaniã *Wendelinus l. c.* quibus verò interea accessit vigesima sexta Kiloniensis.

§. XIX. Adeò nunc, barbara olim Germania exulta est bonis artibus & scientiis, ut nulli ferè nationi cedat, nullumq; Europæ regnum tot numerare Musarum sedes possit, quàm ista. Jam enim nihil dicemus de tot diversis celebrioribus Gymnasiis, in quibus omnes disciplinæ florent, ita ut ratione doctrinarum  
Acade-



Academiis minoribus videantur æquiparanda esse, cum primis quia Gymnasia Academica salutantur, ceu talia sunt Bremense & Gedanense. Sed quia potestate conferendis honores & dignitatum brabea destituuntur, longè inferiora sunt Universitatibus. Illustris Stryck. ad l. c. Et præterea non tam amplis exornata sunt privilegiis aliis, quàm ea Scholæ, quæ Universitatum nomine veniunt.

§. XX. Personæ Universitatem constituentes sunt vel docentes vel discentes. Docentes ordinariè sunt Professores, qui constituunt Senatum Academicum, cujus caput Rector est, qui summa pollet auctoritate, cui & Professores, imò singulæ Facultates subsunt in plurimis Academiis, nisi speciali privilegio exemptionem impetrârint, ut Principi immediatè subsint, ut in Academia Lipsiensi. Vid. Joh. Schilteri Instit. Jur. Can. tit. 13. §. 5. Hinc civis maximè Academicus Rectorem in officio constitutum atrociter ledens, capitali supplicio potest affici. Magnif. Stryck. ad §. 7. l. c. Variæ eminentiæ hanc dignitatem in diversis Academiis insequentes, ab aliis crebrò enumerantur, hinc circa eas non occupabitur studium nostrum. Id saltem addendum, quod alibi propterea hunc honorem soli Principes sibi reservent, & ideò Pro-Rectorem saltem constituent, qui vices eorum maximè in recipiendis novitiis & animadvertendo in eos, qui in leges peccârunt, subeat.

§. XXI. Senatus autem Academicus, uti notissimum est, ex quatuor Facultatibus cõalescit, quarum quæq; Decanum sibi præficit, tanquam speciale caput. Munus autem hujus est. (1) Convocare collegas. (2) Si consilia à Facultate petantur, aliorum rogare suffragia, ea concipere, & descripta obsignare. (3) Candidatorum gradum ambientium nomina ad Senatum referre, vid. Wendelinus l. c. (4) Demum accedit scripta publica & libros censura notare, ita tamen, ut summa hujus rei potestas reservetur Principi & Consistoriis. Johan. Schilterus l. c.

§. XXII. Ex receptâ veteri consuetudine Universitati cuilibet destinatus est Cancellarius perpetuus, qui Episcopus plerumq; ut Academica privilegia defenderet & gradus conferendi potestatem concederet Decanis. Sic Lipsiensi Academiae Cancellarius est adhuc Episcopus Martisburgensis, celeberrimæ vesò hujus Leucoræ olim erat Brandenburgensis, nunc autem dis-

positione Electorali generali Pro-Cancellariatus officium in promotione adhæret ipsi Decanatu.

§. XXIII. Omnium Professorum munus præcipuum est docere ea imprimis, quæ iis sunt demandata; Sed Theologis simul incumbit contradicentibus veræ religioni obdurare os, scriptisque publicis Principis jussu convincere in errore pertinaces. Provincia hæc cū sit longè dignissima & difficillima, nemo hanc ambire debet, nisi excellentibus virtutibus eximiaq; eruditione præcæteris multum emineat, seq; antea satis probaverit orbi doctorum. Præcipuas autem animi dotes has, quæ requiruntur in futuro Professore, recenset *Celeber. Profes in cit. Disp. de Acad.* Multa præterea hîc essent memoranda de Assessores & Adjunctis Facultatum, ut & de aliis, sed cū hæc omnia sint notissima alibiq; lectu obvia, promovemus gradum potius ad discentes.

§. XXIV. Discentes verò etiam Studiosi, Studentes, Academici & Scholastici salutantur postquam peracto depositionis ritu in Album literariæ Reipublicæ inscripti sunt, & obedientiæ juramentum præstiterunt. Equidem sufficere posset sola inscriptio, ut quis sit civis Academicus; quò tamen magis in officio contineantur juvenes, accessit juramentum obligationem reddens validiorem. Hîc loci tamen id simul observatur, ne quis, qui nondum excessit annum decimum sextum, præstare cogatur hoc juramentum, sed ejus loco sufficere potest stipulatio. Præsumitur enim in tam immaturâ ætate non ab omnibus satis attendi, quantum in recessu habeat juramenti religio.

§. XXV. Sanè tenentur Studiosi officii sui seriò habere rationem, ne conscientis inurant maculam legum transgressores. Omnes quidem sumus homines, omnesq; erramus. Hinc affectu præventus, aut pravo sodalitiò præoccupatus, si quis culpam admittit, pœnam verò non recusat subire, Doctorum judicio nõ statim fit reus perjurii. Addit rationem *Magnif. STRYKIUS l.c. quia leges Academia non simplicem, sed alternativam continent obligationem, ut quis vel teneatur ad illarum observantiam, vel ad pœnam. Ergò qui leges Academicas non observaverit, & pœna tamen se submisert, perjurii reus non est, sicut hoc in specie legibus Academicis Francofurtanis subiectum.* Hæc ille: Hinc meritò illi, qui vadimonium relinquunt,  
nec

nec citati comparent coram Magistratu Academico, perjurii ac-  
cusantur publicè, ac relegationis pœnâ digni censentur. Et fortè  
non omnimodè absolvendi sunt ii, qui scientes volentes contra  
leges peccant, superhabentes pœnam, quam putant fore lenio-  
rem, posseq; redimi.

§.XXVI. Cùm autem ex tot dissitis terrarum tractibus ad flo-  
rentem Academiam confluant cives diversis præditi ingeniis,  
fieri vix aliter potest, quin non pauci inter eos ferocientes simul  
advolent, quia præterea in omnibus rebus sunt mala mixta bonis.  
Iniqua hinc eorum sunt consilia, qui clamant, *tollendas esse Scho-  
las, tollendas Academias.* Profectò religio intempestiva ejusmodi  
hominum occupavit mentes. Vinum immodicè haustum ineo-  
briat, nec tamen legitimus ejusdem usus est abolendus. *Coercen-  
di igitur frenum mordentes modicè, & liberalibus ingeniis convenien-  
ter, nec ad servile obsequium trahendi sunt, quo minus multi parent abi-  
tum cum Universitatis summo detrimento.* Ignei enim motus ado-  
lescentum non rarò generosum præferunt animum. Hinc in *Acad-  
emiis quodq; qui nescit simulare, nescit imperare. vid. Lansius in Comm.  
de Acad. p.2. & 52.*

§.XXVII. Sed hæc eos saltem attinent, de quibus spes restat  
emendationis. Cùm autem omnibus sine discrimine, qui se pro  
Studiofis venditare possunt, pateat aditus ad Academiam, inter-  
dum pestis hominum proborum, lurcones & multis sceleribus  
inquinati se immiscent, qui honestis mentibus sunt irritamenta  
malorum. In tales utiq; severè animadvertendum est, ut maturè,  
antequam malum serpat longius, relegentur quàm longissimè.  
Nam magni laboris res erat Patrum nostrorum memoriâ, proscri-  
bere semel receptos pravos mores, quibus noviti per annum exagi-  
tabantur vehementissimè, largisq; poculis & sumtuosis dapibus redimere  
graviora damna necesse habebant. *vid. pluribus Wendelinus l.c.*

§.XXIX. Profectò ejusmodi homines averfantur innocuæ  
Musæ, quæ pietati tantùm litant ac omnibus ex hæc progermi-  
nantibus virtutibus, quarum præcipuè observantia Doctorum,  
sobrietas, castitas, modestia, mansuetudo, gratitudo, honestas in  
vestitu, assiduitas in audiendo & legendo. Nam potissimum ut  
audiant Magistros, quorum laus in Academiis illustrior est, ideò

à suis in easdem ablegantur Studiosi. Ab istis enim in compendio & bono ordine addisci possunt ea, quæ aliàs sine ductore aut discerent tardius, aut perperam aut nunquam. Si verò pari cum fructu studia literarum privatos intra parietes, quò in Auditoriis tractari possent; ecurrunt Studiosi nò potius domi manerent, quàm tanto sæpè cum periculo ac tantis sumptibus peregrè profiscantur. Rectè judicat Lansius de Acad. p. 34. ubi prolixior est in hoc argumento.

§. XXIX. Frequenria Studioforum non parum auctoritatis & gloriæ conciliat Academiis. In Bononiæ igitur laudibus ponitur, quod aliquando decem millia Studioforum aluerit. Viennæ sæpius septem vel octo civium Academicorum millia sunt numerati. Oxoniæ olim & similiter Parisiis triginta millia Academicorum vixisse refertur, & citat ex aliis Lansius p. 52. Wendelinus autem l. c. affirmat unicum Eobanum Hessum Erfordii mille & quingentos habuisse Auditores. Et Joh. Corrasius tantâ Auditorum frequentiam Tholose jus docuit, ut sæpius quater mille Studiosi vocem professoriam exceperint.

§. XXX. In Universitate præterea muniis diversis præstant Syndicus, Actorum publicorum Præfectus, Quæstor. Accersuntur quoque ad corporis exercitia artis equestris Magistri, Pugiles, Saltatores ac Cytharædi. Depositor etiam ab Academiâ dependet; ac Rectori ad manus sunt Ministri publici. f. Pedelli, qui pedasive sceptrâ præferunt in actibus solennioribus, quorum alibi plures, alibi verò pauciores sunt. Horum munus insuper est convocare Decanos, totumque Senatû Academicum, ad Rectorem citare Studiosos, & quæ sunt reliqua. His annumerantur Typographi, Bibliopolæ, Compactores librorum, Nuncii ac famuli Studioforum.

§. XXXI. Sed hæc de Scholis majoribus, minores quoque; ut attendamus nunc paucis instituti ratio postulat. Gymnasia jam attigimus. Scholas igitur quæ Trivia aliàs audiunt hinc notamus. Sic verò dicuntur ob triplicem viam, quæ in iis demonstratur ad Grammaticam, Dialecticam & Rhetoricam. Clarissimus Conringius l. c. ex Scriptore vitæ Meinweri Episcopi refert, quod in Paderbornensi Ecclesiâ publica floruerint studia, quando ibi Musici fuerunt, & Dia-

*Dialectici enituerant, Rhetorici claris, Grammatici, quando Magistra-  
artium exercebant Trivium, quibus omne studium erat circa Quadri-  
vium, ubi Mathematici claruerunt, & Astronomici habebantur Physici,  
ac Geometrici. Patet, ibi ad Trivium tanquam accessorium quid  
etiam Musicam referri; sic ergo dicuntur ob præcipua studia, quæ  
in iis tractantur. Nec ullum est dubium in Triviis etiam ad ad-  
discendas linguas, latinam præcipuè, auctores classici fuisse ad-  
hibitos, aut nunc saltem adhiberi solere.*

§. XXXII. Personæ docentes in hisce Scholis sunt Rector,  
Con-Rector & reliqui Collegæ, qui bono ordine sequuntur, nunc  
plures, nunc pauciores, pro cujuscunq; loci conditione, & prout  
reditus ad salaria horum destinati sunt nunc majores, nunc mi-  
niores. Requiritur ad has Scholas tales viri, qui sese accommo-  
dare possunt ad discipulorum ingenia, ut perspicuitate & quâdam  
comitate magis instillent pietatem & bonas literas, quàm quod  
nimiâ austeritate nil nisi tremorem incutiant suis discipulis pla-  
gosis Orbiliis similes. Nec tamen omnimodè paternam discipli-  
nâ intermittere par est, maximeq; illud Poëtæ iis observandū est:

-- -- *Non sic flectere sensus*

*Humanos edicta valent, quàm exempla regentium.*

§. XXXIII. Porro quod concernit officium discipulorum, est in  
plurimis idem, quod Studiosorum. Cum primis quia in ista sunt  
constituti ætate, in quâ se regere nesciunt, non sibi videantur sa-  
pientiores Doctoribus, ne seipos cum Phaëthonte dent præcipi-  
tes. Potius Magistrorum salutaria monita iis sunt custodienda,  
eorumq; labores ferè herculei gratâ mente volvendi, quò & iis  
postmodum feliciter omnia cedant.

§. XXXIV. Tantùm de *objecto & subjecto rei literariae*. Prove-  
himur nunc ad ejus *formale*; & hoc ad diversa se extendit. Omni-  
um primò vero solemnis Scholarum majorum institutio est re-  
spicienda. Hinc, quo augmenta capiat Universitas certa, & in ce-  
lebritate versetur, multum interest, si commodus locus, salubris-  
q; & fertilis situs ei destinetur, nec in ejusmodi urbibus, quæ ob  
aëris inclementiam, aut alios defectus sunt bonorum ingenio-  
rum commune sepulchrum, excitentur. Quapropter cum olim  
*Germania Duces facultatem condendi Academiæ impetrassent, non*  
ante

ante diplomata erectionis & confirmationis ab Imperatore vel Pontifice iis tradebantur, quàm *Episcopus*, cui lege Diocesana, inspectio Academiarum committenda erat, missus disquisiverat naturam loci, aëris temperiem, mores hominum, dotis congrua constitutionem & alios redditus, ex quibus salaria Professoribus erant præstanda. *Lansius Comment. de Acad. p. 38.* Et hæc omnia benè sibi proposita habuisse *Serenissimum FRIDERICUM Fundatorem hujus Academiæ Wittenbergensis*, certum est. Injurii ergo sunt, qui eam ceu minus salubri loco constitutam, affirmant. Medici certè ex aëris & aquarum puritate, situq; loci, dum versus meridiem alluens Albis arcet Austrum infestum, versus Septentrionem colles arenosi humiditatem temperant, probant contrarium. Confirmant quoq; loci salubritatem tot senio graves viri, & quod in comparatione numeri incolarum, cum aliis urbibus numerus defunctorum per annum sit exiguus, quemadmodum & à contagiosa lue, ultra dimidium seculi intacta fuit.

§. XXXV. Cæteris igitur paribus, nil vetat, quo minus in emporiis, propugnaculis, aut iis urbibus, in quibus Principum splendent aulae, possint constitui Universalia studia. Aliorum objectionibus circa hæc *satisfecit Excell. Præses*, exemplisq; illustravit *l.c. de Acad.* Incommoda enim, quæ per accidens oriri possent, bonis legibus præcaveri debent, maximumq; potius commodum est attendendum. Et in talibus urbibus amplissimis plus impendi potest ad extruenda commoda auditoria, quæq; magis niteant. Nam Musas in Helicone & Parnasso amoenissimis tutissimisq; montibus, habitare, non sine ratione finxerunt Poëtæ.

§. XXXVI. In benè constitutis Academiis rectè quoq; se habere debent salaria, quibus Professores, & reliqui sustententur, ut non tantum vivere, sed & benè vivere possint, suisq; pro officii dignitate prospicere. Hinc meritò extollit *Conring. l.c. Dissert. 3.* Scholam Bononiensem, partim ob numerum Professorum, partim ob opulentissimam dotem. Dicit enim, *numerasse Professores centum viginti sex, aq; Senatu quotannis in horum salaria quadraginta prope Coronatorum millia expendi.* Nam sic constitutis salariis & Magistri solidæ ac singularis eruditionis laude illustres possunt accersi, qui famam eidem conciliant, & Studiosorum alliciunt frequentiam. Hinc *Belgici Præceres Josephum Scaligerum Europa*  
lumen

*lumen liberali mille aureorum annuo stipendio vocaverunt, nec quicquam ab isto Musagetâ exegerunt aliud, nisi ut congressu conspectuq; suo celebritatem Academia conservaret augeteq;. Baudius cent. 1. ep. 16.*

§. XXXVII. Huc spectat & illa Principum largitio, quando pro Studiosis, quibus res angusta domi, certa stipendia sunt constituta, quo & diutius, & commodius studiis suis invigilare possint. Immortalem hâc in parte gloriam sibi comparârunt Serenissimi Saxoniz Duces, ac Wûrtembergici, ut de aliis taceam, tantum in hos usus quotannis impendentes, quantum vix ampla quædam provincia fert reddituum. Quorum laudatissimum institutum, passim licet imparibus, imitati sunt pii majores, ac privatæ etiam conditionis homines, ut in multis civitatibus posteris certa destinarent legata, quibus Studiosis in Academiis commorantibus succurreretur. Nec silentio prætereunda sunt Convictoria & mensæ publicæ, in quibus exiguo soluto precio Principum indultu cibus sustentantur Studentes.

§. XXXVIII. Privilegia & immunitates eximia sunt Senatus & civium Academicorum, sed pro ratione diversarum Academicarum diversa, alicubi ampliora, alicubi verò restrictiora. Alii itaq; numerant centum & octoginta, alii centum, alii pauciora. Nos generalissima & notissima paucis sumus consideraturi. Et quidem intra Academias sunt talia: *Licentia publicè docendi ac discendi, potestas dignis conferendi honores & gradus, jurisdictio in cives Academicos.* Extra Academiam fruuntur *iterfacientes remissione à vectigalibus, & libertate, quo minus possint trahi ad militiam.*

§. XXXIX. Publicè ac per vitæ tempus tantum docere, priscis temporibus nullo publico privilegio concedebatur, potius interdicebatur. Hinc accusatus est Socrates, quod laboribus manuariis non daret operam, sed tantum omne tempus in aliis erudendis traduceret. Postea *receptâ saltem consuetudine publicè docuerunt Grammatici, Philosophi & Oratores, sed sapius non securi erant à plebis exagitationibus & injuriis; donec à Diocletiano & Maximiano discipulis usq; ad annum 25. concedebatur informari; & sic sensim plenaria immunitas à Principibus Discipulis & Docentibus indulta est.* *Com. l. c. Diff. 6. quæ concessio plenaria etiam nunc obtinet ubivis.*

§. XL. Imò tantâ libertate gaudent omnes scientiæ, ut in quibusvis diligentes digniq; publicis præmiis ac brabéis ornari possint.

C

ant.

sint. Hinc à quo tempore Universitates hanc acceperunt formam & splendorem, etiam dignitates hæc ceperunt locum obtinere, concessæ ab Imperatoribus ac Pontificibus in diligentia præmium, & benè meritorum ornamentum, ita tamen, ut Candidati prius examen subeant, & eruditionem suam dent probatam, antequam declarentur Baccalaurei, Magistri, Licentiati vel Doctores. Rituum autem atq; cerimoniarum solemnitas circa honores hos adhiberi solita sex cum primis observantur, & sunt: Cathedra, biretum seu mitra, liber, annulus, osculum, benedictio; quorum significationes, bonasq; circa eas meditationes, prolixè & doctissimè dedit *Amplissimus Præses l. c.* & in promotionum solennibus veteri instituto publicè edisseruntur.

§. XLI. Baccalaurei unde dicantur, variorum prostant opinioniones: quarum probabilior videtur esse, sic denominari à baccà laureâ, quod olim hisce Candidatis frondes laureæ auro & argento distinctæ tanquam inscitia victoribus, maximè apud Gallos capitibus sint impostæ *vid. Wendelinus l. c.* Risu excipienda videtur derivatio, quod sic dicantur, quia ipsis in creatione tradit9 fit baculus, quo ipso digni sint declarati ad docendos & baculo coercendos pueros. Ex scholasticorum opinione *Limn. de jure publ. l. 3. c. 1. n. 17. cit. Magnif. Stryck. ad l. c. sic Baccalaureum describit; quod sit persona habens dignitatem bajulandi baculum, promovibilis in Magistrum.* Id etiam observandum est, quod in hæc almâ Leucoréa hic honor non separatim amplius conferatur, sed simul annectatur promotioni Magistrorum, qui mos tamen in almâ Philuræa adhuc viget.

§. XLII. Magisterii gradus iis, qui per aliquot annos Philosophiæ incubuerunt, est conferendus Olim Theologis maximè hic titulus tribuebatur. Cum verò postea Doctorum honore insignirentur Jcti, ne digniori studio quicquam detraheretur, & ipsa Facultas Theologica potestatem creandi Doctores accepit, & Medici quoq; indultu superiorū hanc dignitatem sibi asseruerunt, ipsiq; Philosophi, unde & in nostra Academia Philosophiæ Candidati solenniter renunciantur *Philosophiæ Magistri & Doctores.* Quia de causa adhuc more veteri in Principum Diplomatis ut plurimum Magistri Doctoribus præponuntur. Sed hunc Magistrorum titulum Judæorum vestigia legere & ab iis mutuatum esse, asserendum minimè est, siquidem eorum Rabbini sive Magistri



gistris præsumptionem sibi arrogabant, & adhuc hodiè eandem sibi vindicant, quasi in articulis fidei & religionis ipsorum magistrum pro lubitu statuere quid ac præcipere possent, quod verò Servator interdicit. *Matth. 23. v. 8.*

§. XLIII. Licentiati à licentiâ publicè docendi, quam in promotione accipiunt, sic dicuntur, ac privilegia omnia iis exhibentur, præter pileum & Doctōris titulum. Eruditione debent pares esse Doctōribus ipsis; hinc & absq; ullo ampliori examine eis postea Doctōratus honos confertur, quandocunq; eum expectant. Et juramento eos adstringi in eâ Academiâ, in quâ hunc gradum assumerunt, ne velint eum reiterare, aut alibi insignia Doctōralia recipere, docet *Excell. Præses Disp. de Acad.* Sed in Saxonia aliquibus in locis aliquando commodius & utilius est Licentiatum quam Doctorem saluari. Doctōri enim sua dignitas alicubi aditum in ordinem Senatoriū reddit difficiliorem. Licentiatum autem, quem Doctōrali fastigio arbitrantur esse minorem, facile cooptatur. *Lans. Comm. de Acad. p. 78.*

§. XLIV. Doctōris demum gradus omnibus Facultatibus est summus, maximisq; gaudet privilegiis; hinc & maximâ eruditione clari tantum eundem ambire debent, ne nomine saltem, minimè verò opere tales audiant. Nobilibus, qui sunt sine functionibus publicis præferuntur, uq; qui per viginti annos in Academiâ docuerunt, Comitum Palatinorum dignitatem assequi possunt. *Lansius l. c. p. 63.* Ac olim gradus hi tanti sunt habiti, ut etiam Principes hisce sint insigniti. Hinc Johannes Dux Megapolitanus Parisiis in Theologiâ Doctōratum assumpsit. Georgius Dux Teccensis pro J. U. Doctōre declaratus est. vid. *Wendel. l. c.* Silemus nunc Hermannum Hassiæ Principem & Richvinum Lotharingiæ Ducem, Magistros Pragenses, & Albertum IV. Ducem Bavarix, Baccalaureum Parisiensem. Et extat integer Catalogus personarum illustrium gradibus Academicis condecoratarum apud *Noldium de Statu Nobilium civili.*

§. XLV. Jurisdictione quod concernit, concessa est illa Academiis, ut habeant jus in cives suos, ac pœnis coercere possint delinquentes. Studiosi verò non tenentur se sistere coram Judice alio civili, sed provocare possunt extra Academiam quoq; agentes ad Rectorem suum. Inde *Lansig l. c. p. 28. ex Cotkm. cit.*, quod duret etiam abeuntibus Studiosis jus matricule regulariter quinquenniū, imò quamdiu illi animum ad Academiam revertendi habeant. Et quondam ac-

curati Studiosi præterea habebant electionem fori, an vellent se fi-  
stere in iudicium coram Senatu Academico, an verò coram Epi-  
scopo. *Job. Schilterus l.c.* Nunc verò cum inter Evangelicos non  
habeatur amplius ratio Episcoporum, & hic mos, ut & apud ali-  
os, abiit in desuetudinem.

§. XLVI. Obverti quidem posset, jurisdictionem hanc dici ab-  
usifvè, cum & Parentibus & in Scholis Præceptoribus licitū sit coër-  
cere suos. Sed ut jam nihil dicam, quod vindicare sibi possent om-  
nes Academiae merum imperium, ut Tubingensis non minus  
criminales, quàm civilem jurisdictionē exercet, ac jus gladii ha-  
bet, à quo jure tn. plurimæ Academiae, quibus mite ac paternum  
regimen atq; Ecclesiasticum arridet, ipsæ abhorrent. Longè verò  
alia rerum facies est, dum penes Parentes & in Scholis adhuc sub  
virgis calemus, nec publicam turbamus pacem, & nondum ex  
robustâ animi malitiâ peccamus. Isthæc coërcendi ratio magis  
animadversionis appellatione venit, cum contrà in Academiis  
peccantes pœnam jurisdictionis publicæ subire necesse habeant.  
*Vid. de discriminè inter animadversionem & pœnam Pufendorf, de J. N.  
& G. lib. 3. c. 3. §. 10.*

§. XLVII. Privilegium extra Academiam Professoribus & Stu-  
diosis concessum spectat cum primis vectigalium immunitatem.  
Et quidem Professoribus concessum patet ex Friderici Imperato-  
ris constitutione, uti annotat *Corringio Diss. 6. l. c.* an verò elici pos-  
sit, hoc privilegium Studiosos etiam attingere, dubitat. Acceden-  
te tamen demum Jure Consultorum auctoritate & Principum  
confirmatione, laudata omnibus æquitas in morem trahi capta  
est; & alicubi benignitate spontaneâ Præfectorum, mos sic obti-  
nuit, cum Scholastici libros & reliqua in usum proprium ferant.  
Quod verò non debeant capi ad militiam, (de Professoribus enim,  
& iis, qui in officio publico sunt constituti, dubii nihil restat,) pa-  
tet, quia seorsim *Aurelia in Gallis pro nationis Germanicae Studiosis*  
*cautum est, ut sint in singulari Regis tutelâ, sive eò proficiantur, sive eò*  
*discedant, belli pariter & pacis temporibus, ut nec possint capi, vel detine-*  
*ri, etsi eorum Principes ipsimet Regi bellum indixerint. Corring. l. c.*  
Quare cum Germaniæ Universitates ad morem Parisiensis &  
Bononiensis constitutæ, iisq; eadem concessa sint privilegia, hæc  
etiam exemptio ad omnes spectat, cum maximè idem quoq; con-  
firmet experientia.

§. XLIX.

§. XLVIII. Paucis etiam delibandum erit, quod Princeps ex auctoritate sua, (dum inter Evangelicos loco Episcopi imò Pontificis summi in territorio suo est, per Instrum: pacis Tit. 5. §. 48.) ad conservandam ac stabiliendam publicam concordiam & tranquillitatem doctrinis certos præscribere limites possit. Nam quod maximè religionem concernit, ipsi, tanquam præcipuo Ecclesie membro, & tanquam defensori ac protectori ejus ac utriusq; Decalogi custodi, curæ ac cordi sit semel recepta vera religio; ut scilicet ea unica quantum fieri potest vigeat ac floreat in sua Re- publ. hanc defendat, conservet & propaget, ab usum corrigat, erroresq; tollat, de ea disputare & statuere quosvis non permit- tar, quia non tam in demonstrationibus, quam pio assensu atq; fiduciali apprehensione consistit.

§. XLIX. Hæc omnia rectè observans Princeps non solum consulit conscientiam, cum post diuturna etiam bella cautè sit inter Evangelicos & Catholicos, ut Principes religionem mutuè tueantur concordiam; sed &, docente Pufendorf. de J.N. & G. l. 7. c. 4. §. 8. expedit, ut publicè civitas ejusmodi doctrinis velut personet, quæ cum fine & usu civitatum congruant, simulq; animi civium & pueri istis imbuantur. Et addit: Talia dogmata (scilicet nova) quæ sub specie religionis, seu alio modo obtruduntur, jus naturale & principia sana Politicæ convellunt, adeoq; exitiabiles morbos in civitate producere apta sunt. Igitur saltem ejusmodi doctrinarum examen, easdemq; in civitate proscribendi potestas rectè summo imperio civili tribuitur.

§. L. Equidem Autor quidam Anonymus in Indice novitatum quarundam Pufendorffianarum priora ejus verba erroris cujusdam convincere vult, quasi Theologiam gentiliam hæreticè sequerentur, quippe quæ etiam utilitati publicæ respondere debuisset. Sed quo jure argui possit circa hunc locum, non apparet satis, quandoquidem versans Pufendorffius circa jus N. & G. etiam ex eo argumenta petere necesse habet, innuens imperantibus salutem publicam supremam legem esse debere. Deinde non repudiat veram religionem, sed potius commendat, quia divina oracula ejusmodi sonant doctrinas, quæ rectissimè congruunt cum fine & usu civitatum. Hinc Hugo Grotius in scriptis posthumis ab Isaaco Grutero editis Tit. de dogmatis, quæ Reipublicæ noxia sunt, sic statuit: Cum Christiana fides cognitio sit ad pietatem spectans, ut Apostolus nos docet, inter quæ ejus præcepta sit omne id, quod ad bonorum civium officium pertinet.

pertinet, haud dubie opera danda est, ne qua dogmata irrepant, aut moribus, aut Reipublicæ noxia.

§ LI. Quapropter Imperantes veram religionem pro lege & normâ agnoscentes, ac verum quoque finem & usum civitatis sibi proponentes rectè agunt. Omnes verò, qui simul ac novas nunc ponunt doctrinas, pactum tollunt, & pro seditiosis sunt habendi, adeoque minimè tolerandi, vid. J.C. Burggerven de summâ rerum l.7.c.20. Ubi simul hoc addit conclusum, quòd quæcunq; dogmata sana principia Politices ac veram pietatem convellere, adeoque exitiales morbos in civitate producere apta deprehendantur, seu sub specie religionis, sive alio modo obtrudantur, proscribere Principi non expedit modo, sed & si verè Princeps esse, statumq; salvum & incolumem velit, necessarium sit. Precedere tamen debent penes ejusmodi contradicentes gradus admonitionum, demonstrandus ipsis error, prohibenda disseminandi erronea hæc dogmata potestas; si verò tunc se intra limites non continebunt, tanquam contumaces à Republicâ sunt ejiciendi. Satis verò ad liquidum diduxit *Amplius. Praeses in thesibus Polit. d.23. April. Anno 1679.* de hæc materiâ habitis, omnes sectas diversas à purâ Evangelii doctrinâ nostra quædam spargere, quæ cum vero civitatis fine pugnant, dum vel potestatem sacram præter Majestatem civilem fingunt, subditosq; armant in Majestatem, vel homines non nisi nuda peccatorum instrumenta statuunt, vel fanatico more licentiam Democraticam intendunt, vel alia iniqua docent, quæ ibi videri possunt.

§. LII. Hæc autem ut exequi rectè valeat Princeps, videtur omne tempus ipsi tribuendum studiis & cum maximè Theologia, non solum in quantum ad pietatem, sed etiam in quantum ad quæstiones controversas & convellendas novitates confert. Posterius verò alienum à Principis personâ esse, omnis ferè largâ concedet manu, cum maximè ad illum spectet istud *Virgilii l.6. Æneid. v. 856.*

*Tu regere imperio populos Romane memento.*

*Et Lipsius in Scholio ad §.6. cap 10. lib.1. Polit. Absit, inquit, ut Princeps in literis nimium desideat, aut in meditatiunculis consenescat. Idcirco autem imperans ad hoc simul malum evitandum sibi constituit Senatum Ecclesiasticum, atq; ut supra memoravimus, in Academiis habet Theologos, qui sectis noviter se proferentibus maturè resistent. Ipse tamen judicare de his debet, & orthodoxos auctoritate juvare. Hinc Conring. c. 3. de civili prudentiâ:*

*Sunt*

*Sunt iis (Principibus) optima religionis, ediscenda principia, quoniam quidem publice interest, ut optima religio foveatur quam maximè in Republica, quod fieri non potest, si Rectores Rerumpublicarum principiorum quoque ignorantiam laborant.*

§. LIII. Ista dixisse sufficiat de iis quæ ad formam Scholarum majorum spectant. Tribus saltem verbis attingimus etiam minores, quæ in cænobiis olim maximè locum habebant, nunc verò concessione Principum ubivis excitari solent, erigendo publicis sumtibus ædes docentibus & discipulis aptas, constituendo Præceptoribus salaria sufficientia, quæ omninò Scholarum sunt nervi; discipulis quoque certa temporum spatia definiuntur, quibus audiendo, memoriter recitando, stylum exercendo, & quæ alia sunt operam navent Magistris, eorumque se submittant disciplinæ. Insimul hinc certa methodus librorumque usus præscribitur, & demum qua ratione singuli officio sint functi explorationes & examina instituuntur, admonenturque omnes muneris sui rationem habere.

§. LIV. Tandem paucissimis pedem promovemus ad rei literariae Finem, quem sibi Majestas habet propositum. Est verò is nullus omninò alius quam *salus publica*. Certè mediæ ævi barbaries quas non ciebat. noxas? quæ Republicæ Christianæ decreta & everfiones? Neglectis bonis literis, negligebantur bonæ doctrinæ. Neglectâ debitâ diligentiam & scrutinio in divina oracula, decrefcebat pietas, crescebant vitia, voluptates, omniaque mala, corrumptentia Principum aulas, Clericorum latibula omniumque domicilia, ut Græci everterentur penitus, & in Imperio occidentali Cæsarum diminueretur auctoritas, jusque in armis quæreretur; nec quisquam debitam obedientiam superioribus præstare volebat, nec superiores rectè imperare valebant.

§. LV. Felicia proinde ista erant tempora, quibus contingebat ut reforescerent bonæ artes, & à mortuis quasi exuscitarentur! Tunc sensim Respublica mitiora experiebatur fata, majorique administrabatur prudentiam, demumque penitus ferme extirpata religio emendabatur. Quæ de re optimè nunc Majestas intendit, ut in Triviis rectè formetur juvenus, quò civitas probos, prudentes, fortes, justos atque temperantes habeat cives. Utrum verò omnes Parentes, quibus liberorum cura & educatio incumbit, Majestatis expleant vota, res magni est dubii. Hinc *Crates* olim dicere consuevit: *Si possem exaudiri ab omnibus hominibus, conscenderem altissimam turrim & exclamarè: Quò ruitis homines, qui nummos corraditis, & interim educationem liberorum negligitis. Plutarchus in vita ejus.* Pædagogia hæc prima etiam ponunt rudimenta, ac animos præparât ad sublimiora studia in Academiis postmodum peragenda. §. 56.

§ LVI. Scholæ namq; & Academiæ rectè dicuntur seminaria Reipubl: in quibus sparsis doctrinæ seminibus progerminant & educantur idonei ejusmodi viri, qui utriq; Reipubl: insigne afferunt commodum. Hinc *Wendelinus l.c. c. 20. finem harum dicit informationem plenam tum theoreticam, tum practicam circa res divinas, naturales, humanas & politicas.* Et ex Universitatibus videmus tanquam ex eqvo Trojano ejusmodi prodire viros, qui ad gubernacula Reipublicæ sèdunt, & clavo Ecclesiæ præficiuntur, talesq; se gerunt, ut posteris intelligant ætatē nostrā feracē fuisse hominū probitate, virtutibus & omnibus disciplinis conspicuorū.


§ LVII. In tot autem civitates, urbes, oppida, pagos vel unius Universitatis fructus se diffundit, dum ex eadem Ministri verbi divini potentes divina eloquia dare explicata hisce præficiuntur, qui rudioribus sternant viam salutis, aberrantes ducant in regiā, ambigentes confirmant multisq; sint auctores quo æterna curatius observent iisq; tandem potiantur. Educant præterea Academiæ tales viros, qui summorum Principum aulas & consilia dirigunt, iisq; à legationibus & aliis splendidioribus sunt muniis. Civitatibus largiuntur prudentes Senatores, injuriā pressis donant Consultissimos Advocatos. Reddunt etiam Academiæ Experientissimos Medicos, qui curam gerunt ægrotorum, suaq; arte innumera civitatibus bona exhibent, ac mala omni consilio avertere student.

§ LVIII. Jam nihil dicemus de Excellentissimis Philosophis, qui præceptis suis saluberrimis duos hominum mores formant ut fiant molliores mansuetioresq; ac omnes inter se conversentur decenter; quā magna etiam conferant emolumenta iis, qui in majorib; studiis feliciter progredi cupiunt. Silentio involvimus clarissimos historiarum & Annalium conditores, qui ex præteritis nos erudiunt, quò cautius evitem; infortunia imminencia, præsentia verò fortiter perferamus. Lepidos taceamus Poetas qui miscent utile dulci, doctrinisq; abundant.

§ LIX. Quanta tandem felicitatis genera iis in specie affluant urbibus, in quibus nidulos suos composuerunt Musæ, longum esset enarrare. Paucis: Purior religionis cultus, justitiæ accuratior administratio, cura valetudinis exquisitior, præparatio animorum ad sapientiam melior, civilitas morum, ingentes opes, mercatura opinior, splendida ædificia, matrimonia & affinitates honorificæ & nominis pervulgata celebritas. LANSIUS ex COTHMAN: p. 40.

§ LX. Ex his igitur, quæ hæcenus breviter pro præsentis instituto nostro & ingenii imbecillitate in medium protulimus, hæcē construimus definitionem: *Jus Majestatis circa rem literariam est potestas summa civilis, quæ Majestas Scholas tum majores seu Academiæ, tum minores seu triviales solemniter instituit, dotat, certisq; immunitatibus & privilegiis instruit, nec non doctrinis publicis certos præscribit limites, salutis publicæ causâ. Hæc itaq; sufficiant dixisse. DEO verò æterno, Patri clementissimo, immortales decernimus gratias per Servatorem nostrum, pro concessâ Spiritus S. gratiâ. Huic benignissimo Domino rem hanc literariam omnesq; qui eidem benè cupiunt, nos demum nostraq; studia & omnes actiones submissis & calidis votis commendamus.* F I N I S.








ULB Halle 3  
001 554 107




Sb.

Vb 17







14575

1/12

1591 11a

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO POLITICA,  
DE

# JURE MAJESTA- TIS CIRCA REM LITERARIAM,

Quam  
PRÆSIDE  
VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO atq;  
EXCELLENTISSIMO

## DN. CHRISTIANO

### Röhrenseen/

Pract. Phil. P. P. Celeberrimo, nec non Alu-  
morum Electoralium EPHORO.

Gravissimo.

Domino PATRONO, PRAECEPTORE, ac studiorum PRO-  
MOTORE maximo, etatemq; colendo.

D. XXX. Septembr. M DC XCI.

IN AUDITORIO MAJORI,  
placidæ Eruditorum disquisitioni

assistit

AUCTOR & RESPONDENS  
SAMUEL Grahl/

Mittweyda Misn.

Phil. & SS. Theol. Stud. atq; Alumn. Elect.

WITTEMBERGÆ, TYPIS JOHANNIS WILCKIL

3

